OSTENTA QVÆ IN HOMINIBVS. CAP. LXXVI.

Infœlicitatis imminẽtis maximũ signum.

NON est solùm ostentum quod in corporibus hominum, aut cæterorum animantium apparet, sed etiam quod in animis. Tagetes Hetruscus scripsit, eos quibus maximum immmet infortuniũ adeò obstupescere, ut nec Iouem tonantem sint audituri. Id uerò singulis diebus experimur. Neque enim maius est signum imminentis alicuius maximæ calamitatis, quàm quasi deprehensos iacere. Huius causam in Problematibus exposuimus. Neq; enim ob scelera id solùm contingit, cùm multi scelerati euadant etiam præter spem. Nec ob timorem, cùm multi alioquin sint, & fortes, & audaces. Sed contingit id quoties pereundum est: quasi urgente fato. Vnum satis cõstat, hoc & signum esse, & sæpius causam etiam subministrare imminenti exitio.

Vir à publico supplicio seruatus.

Vidimus & hominẽ qui anno M. D. X L, damnatus pœna capitali, bisq; claua percussus cadente etiam succula, seruatus est coram populo oppidi Castrinoui prouinciæ Turonensis. Prædixerat hoc futurum antequam duceretur, astansq; supplicio, ab ea die quæ uigesima octaua fuit Nouembris, peregrinatus est ex uoto saucius, tamen paululum euasit. Fertur & hoc Carauagij accidisse iam circiter ab hinc annis triginta: depicta ibi res est, & ad beatam Virginem tantum prodigium refertur. Ego uerò de hoc dicam quid sentiam: prior cùm uulneratus esset, ostendit se minimè opera diuina seruatum: sed cùm iamdiu nemo securi percussus esset, falx æruginẽ contraxerat, carnifex minimè expertus, ipse qui plectebatur confidens & robustus, ac partibus

tibus loci more defensus. Alius etiã Cremonæ à suspendio euasit, fractis laqueis. Clarum hoc est, indicium impotentiæ principum: hæc enim sunt illorum iussa, quibus satraps aduersatur. Si enim iniustè damnatus liberatur, coarguuntur iniustitiæ magistratus: si iustè, iustitiæ administratio prohibetur. Si dolo res agitur, & maioribus sceleribus atq; flagitijs, damnisq; reipublicæ locus est. Cõstat tamen quendam bis suspensum, seruatum, miraculi specie: inde cùm tertiò iudicis solertia perijsset inuẽtam osseam asperam arteriam. Alius cùm fracto laqueo bis cecidisset, tertiò statim suspensus perijt, quod laqueus maior & firmior esset. Ergo citra miraculum, multis modis, & natura, & casu, atq; dolo, talia contingunt.

Vir asperam arteriam osseã habens.

Annis ab hinc duobus contingit, ut in orphanotrophio Romæ omnes puellæ (erãt aũt, ut audio, circiter septuaginta) nocte una factæ sint dæmoniacæ: nec ulla usq; nunc, cũ iam exacti sint duo anni, curari potuit. Causa igitur ex halitu loci proueniri potest, aut ex aqua: aqua enim pilos & humores mutat: potest & esse dolus. Agnosco nunc uirum, qui puer per sex & amplius annos, dæmonẽ se uidere simulauit, tum ut liberius uiueret, tum ut homines in sui admirationẽ traheret: atq; etiam sic effreni uoluptati operã daret. Multa contingunt in hominibus. Sed si quis obfirmato animo secum reputet talia omnia esse uana, & dolis plena, facile subolebit fucus. At dæmone corripi seu insanire, qs uanum non esse dubitat? utinam esset. Si ergo hoc absq; fuco contigit. futurorum temporum, & Antistitum improbitatem declarat: nam sicut innoxia ætas in pessimum exemplum trãsijt, ita qui præesse debent religioni, in improbum sensum tradentur. Vnde non solùm execrãdi explodentur, & irridebuntur, sed etiam damnabuntur.

Puellę factę dæmoniacæ.

OSTEN-